

# E P I T O M E.

**I**Ngens exarsit inter Paullum V. Pontificem & Venetos contentio, cum Pontifex, ut Veneti leges suas abrogarent, atque eorum magistratus a clericis manus abstinerent, postularet, contra Veneti jura sua acerrime tuerentur. Marinus interea Grimanus, Reipublicae Princeps, fato funditus est, ac Leonardus Donatus ad principatum elatus. Ad Pontificem extra ordinem legatus est Petrus Doudus, eique in mandatis datum, ut, quod saepe ante per literas perque Nanium, ordinarium oratorem, factitatum pariter fuerat, & propensam erga ipsum Reipublicae voluntatem Pontifici significaret, & quae essent Reipublicae jura, eundem doceret. Paullo nihilominus intentatum ecclesiasticum fulmen intorquere placuit. Ducem ac Senatum a fidelium coetu se junxit; universae Venetae ditioni sacris interdixit. Ne quis vero intra Veneti imperii fines pontificias literas evulgare auderet, simul ne quas concitata plebs turbas daret, maxima solertia, classe etiam & terrestribus copiis audit, cautum est. Tum sparsis in vulgus libellis, utrumque entymematis certatum; deinde res ad justum bellum spectare visa est. Delectus utrumque habiti, ceterique apparatus facti. Universis tamen Europae Principibus in id intentis, ut priori amicitia Venetorum & Pontificis animi coalescerent, tandem Jojeusae Cardinalis, cui id Galliae Rex mandaverat, potissimum opera, unanimi Pontificis & Venetorum consensu, lis omnis direpta, atque amice composita est.